

summam non excedens prædictam ab ecclesiis (non tamen Regularium) et a Beneficiatis sibi subjectis tali etiam volumus moderatione exigatur, videlicet :

I. Quibus sunt redditus infra scuta decem (idem de Ducatis monetæ Neapolitanæ intelligatur) duo Julii.

II. Quibus scuta infra quinquaginta, Julii quinque.

III. Quibus infra centum, Julii decem.

IV. Quibus ultra centum, vel quacumque in alia majori summa, Julii quindecim.

V. Ab Ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi, Julii viginti, salvis tamen Consuetudinibus, Ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus.

(25. Addenda sunt ad rem sequentia decreta relata in Thesaurio Resolution. tom. 6. in *Firmana Cathedralici*, ibi: In congregatione particulari super Cathedralicis pridem a Sanctissimo D. N. deputata quatuor ad instantiam Promotoris Fiscalis Curie Archiepiscopalis Firmanæ die 29. Aprilis 1731. contra Collegiatam Murri Vallis propositis Dubiis nimirum: « I. An Beneficia, quæ sunt ad collationem Capituli Firmani præter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere Cathedralicum Reverendis Archiepiscopo? II. An Capellæ, et Confraternitates Laicales teneantur solvere Cathedralicum? III. An Cathedralicum jam in certa summa taxatum, et solvi consuetum potuerit augeri? IV. An augmentum hæcenus exactum veniat restituendum? » Responsum fuit: « Ad I. Affirmative. Ad II. Capellanas, et Confraternitates Laicales non teneri. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative. »

(26. Totidemque pariter propositis contra Collegiatam S. Elpidii, scilicet: « I. An Capitulares, et Beneficiati Sancti Elpidii, quatenus habeant Præbendas distinctas a Massa communi, teneantur solvere Cathedralicum pro qualibet eorum Præbenda ultra Cathedralicum in communi? II. An antiqua, seu potius nova taxa Cathedralici, etiam quoad Beneficia extra gremium dictæ collegiæ, et Loca Pia dictæ Terræ, sit exsequenda? III. An Beneficia, et Loca Pia de præterito non taxata pro Cathedralico teneantur in posterum illud solvere, et ad cujus taxæ rationem? IV. An constet de attentatis? » prodiit Rescriptum: « Ad I. Negative. Ad II. Antiquam Taxam esse servandam. Ad III. Ad mentem, quæ fuit, ut servetur dispositio Concilii Romani. Ad IV. Negative; » ac deinde reposita Causa, die 5. Octobris ejusdem Anni, responsum fuit: « In Decisis in omnibus, et amplius. »

(27. Et in dicta *Firmana Cathedralici* ad tria sequentia dubia « I. An Beneficia, quorum redditus non excedunt annua scuta 15. deductis oneribus teneantur solvere Cathedralicum, et in qua summa, in casu, etc.? II. An Confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, et habentes propriam Ecclesiam teneantur solvere Cathedralicum, in casu etc.? III. An ad solutionem Cathedralici teneantur etiam Confraternitates non habentes propriam Ecclesiam, sed simplicem tantum

Capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ in casu, etc.? responsum fuit: Ad primum, et secundum *Affirmative*: Ad tertium *Negative, et amplius.* »

(28. « In *Viterbien. Cathedralici*, propositis duobus sequentibus dubiis: I. *An sustinenda sit provisio Præbendæ Pænitentiarie facta ab Ordinario?* Et quatenus negative: II. *An dicta Præbenda Pænitentiarie sit conferenda Sigismundo Malatesta in casu, etc.* Sac. Congreg. Concil. 7. Aprilis 1742. respondit, Ad I. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.* Ad II. *Satis provisum in primo.* Sic apud thesaurum tom. X. in dicta *Viterbien. Cathedralici.* » etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Primis Ecclesiæ sæculis Cathedralici præstatio consuetudini potius quam legi innitebatur. (30. Synodus Bracharensis prima omnium jussit ut Cathedralicum Episcopo præstaretur; *Can. Placuit 10. qu. 3.* (31. Hæc ipsa præstatio præscripta deinde fuit in tota Ecclesia ab Honorio III. in cap. *Conquerente, de Offic. Ordinarii.*

(32. Ex decreto vero Synodi Bracharensis Capitula dumtaxat, et Ecclesiæ Parochiales Cathedralicum solvere tenebantur. (33. Hæc autem restricta Cathedralici solutio (inquit *Rota* coram Tanario decis. 228. n. 6 et 7.) non alia ratione processit, nisi quia ex tunc ab Episcopis construi permittentur Ecclesiæ dumtaxat Parochiales, in quibus Sacramenta Christianis ministrarentur. (34. Quum autem post datam Ecclesiæ pacem plures in dies temporisque progressu ab hominum pietate ædificatæ, atque dotatæ fuerint Ecclesiæ, et respective fundata Beneficia; (35. hinc per viam Legis universalis statutum fuit ab Honorio III. in cap. *Conquerente, de Offic. Ordinarii.* ut Cathedralicum esset omnino solvendum tam a Capitulis, et Parochialibus Ecclesiis, quam ab omnibus aliis quibuscumque Capellis, et Beneficiis Ecclesiasticis. »

(36. Præstatio autem Cathedralici statuta a jure est in duobus solidis, nulla habita ratione majoris, vel minoris opulentie Ecclesiæ. (37. An autem consuetudo vim habere possit quoad quantitatem Cathedralici sive augendam, sive minuendam, vide apud Rotam coram Tanar. impress. Romæ Tom. 2. apud *Barbiellini d. dec. 234. n. 43.*

(38. Tempus vero non est præstitutum præstationi Cathedralici. (39. Licet enim ut plurimum præstari soleat in synodo, tamen consuetudine vel conventionem partium potest alio tempore præstari. (40. Et, quod summopere notandum est, debet præstari in illis etiam annis, in quibus non celebretur Synodus. Sac. Congregatio Concilii interpret in *Cassanen. Cathedralici* 21. Maii 1735. ad 1 et 2. *dub. et rursus in Perusina Cathedralici* 19. Novembris ejusdem anni 1735 ad *secund. dub.*

(41. Consuetudinem etiam immemorabilem eximere haud posse a præstatione Cathedralici firmavit *Rota coram dict. Tanar. decis. 238. num. 46.*

CAUPO.

Vide verb. TABERNA, TABERNARI PER TOT. et verb. CLERICUS, art. 5. a num. 10 ad 14.

CAUSÆ.

SUMMARIUM.

1. Causæ omnes tam civiles quam criminales in prima instantia ab Ordinariis sunt cognoscendæ. — 2. Si pendentibus Causis in prima instantia impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæc non valent ad retardandam executionem processuum. — 3. In Causis ultra montes monitoria expelli prohibentur in curia absque speciali judicis rescripto. — 4. Causarum commissiones ad partes iudicibus synodalibus dumtaxat sunt dirigendæ. — 5. Causæ de partibus non attingentes valorem centum scutorum retineri nequeunt in curia. — 6. Causæ jam contestatæ, et introductæ in partibus, si deferantur ad A. C. quomodo reassumi debeant. — 7. Causæ infra valorem 55 scut. judicari possunt a Cardinali Vicario urbis, et a gubernatore. — 8. Causæ quæcumque per commissionem manu Pontificis signatam, cuilibet iudici, tribunalis, aut Congregationi committi possunt. — 9. 11. Causæ rotales quæcumque sint. — 12. 16. Causæ minus graves, seu prælatiæ. — 17. 18. Causæ ad forum Capitolinum spectantes nunquam ab illius curia avocari poterunt, nisi de partium consensu. — 19. Causa ad capitoli curiam pertinens tam rotæ quam alteri cuiumque iudici committi valet. — 20. Excipiuntur Causæ matrimoniales, et super nullitate professionum regularium. — 21. Causæ matrimoniales ad auditorium rotæ, vel ad S. Congregationem Conc. sunt deferendæ. — 22. 24. Causæ super nullitate professionis regularis a quo cognoscendæ. — 25. 26. Causæ nullitatis professionis monialium a quo judicari debeant. — 27. Causæ nullitatis professionis ex capite non expleti novitiatus in cœnobio ad institutionem novitorum designato private spectant ad Congregationem Concilii. — 28. Causæ super nullitate professionis post primam instantiam deferuntur ad iudices, ad quos de jure appellatio interponitur. —

(1. Causæ omnes tam civiles quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat agnoscendæ sunt, Causis privilegiatis exceptis, neque committi possunt etiam Auditori Camera Apostolicæ, nisi per viam legitimæ appellationis. (2. Si autem pendentibus Causis in prima instantia impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæc quidem valent ad comparandum, vel ad audeantur Signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora. (3. In Causis autem ultra montes, etiam privilegiatis, monitoria expediti prohibentur in Curia absque speciali Judicis Rescripto. *Benedic. XIV. tom. 1. Constit. 48. incip. Ad Militantis §. 22. et sequ.*

(4. Causarum commissiones ad partes iudicibus Synodalibus dumtaxat sunt dirigendæ. Idem §. 6. (5. Causæ de partibus non attingentes valorem centum scutorum, et non privilegiatæ, retineri nequeunt in Curia; sed subdelegandus est Judex cum soluta clausula: *Ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus, etc.* Idem *Constit. 115. incip. Romanæ Curie §. 12.* (6. Causæ jam contestatæ, et introductæ in partibus, si ob privilegium variandi forum deferantur ad A. C. reassumi debent in statu, et terminis, relictis sumptibus, et transportatis actis expensis illius

29. Causæ nullitatis etiam intra quinquennium promotæ, si devolvantur ad S. Sedem, a quonam judicari debeant. — 30. 31. Causæ nullitatis professionis in gradu restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii a S. Sede tantum cognosci possunt. — 32. Quandoque vero ex Apostolicæ Sedis dispensatione ordinariis, et aliis superioribus committuntur. — 33. Causas spirituales avocantes a iudicibus Ecclesiasticis excommunicantur. — 34. Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit. — 35. Causæ omnes in quibus ecclesiastici tamquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in foro ecclesiastico. — 36. Si clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, a quo iudice cognosci debeat Causa. — 37. Causa quid sit; et in quo differat a lite et a questione. — 38. Causæ dividuntur in civiles, criminales, et spirituales. — 39. Causarum spiritualium cognitio ad quem spectet. — 40. Causæ majores Sedi Apostolicæ reservantur. — 41. Præcipuæ earum enumerantur. — 42. Gallorum contentiones circa reservationem Causarum majorum. — 43. Cardinalium Causæ a Pontifice cognosci debent. — 44. Causas criminales Vicarius expedire nequit, nisi specialiter ei commissæ fuerint. — 45. Quibus in Causis matrimonialibus capitulum, sede vacante, procedere possit. — 46. Episcopo inferiori ex delegatione Causarum matrimonialium cognitionem habere potest. — 47. Causæ ecclesiasticæ, si coram ordinariis infra biennium non terminentur, liberum est partibus iudices superiores adire. — 48. In Causa denegatæ, vel protractæ justitiæ Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi. — 49. Omnes Causæ generaliter loquendo delegari possunt. — 50. Causas matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum jure ordinario, ipse committere potest decidendas doctoribus, qui non sunt ejus Vicarii.

qui variare voluerit. Idem *ibid.* §. 6 (7. Causæ infra valorem scut. 25. et mercedis judicari possunt a Cardinali Vicario Urbis, et a Gubernatore contra quoscumque, etiam si adsit obligatio Cameralis. Idem *ibid.* §. 24.

(8. Causæ quæcumque per commissionem manu Pontificis signatam, cuilibet iudici, Tribunali, aut Congregationi committi possunt. Idem tom. 2. *Const. 51. incip. Justitiæ et Pacis.* (9. Causæ Rotales a prælatiis distinguuntur; Causæ enim graviore, et consequenter Rotales sunt illæ in quibus agitur de jurisdictionibus, Juribus Patronatus, etc. Et generaliter quoties earum valor citra montes ascendit ad scuta auri quingenta, ultra montes autem ad scuta mille hujusmodi Idem, *ibid.* (10. Item Causæ Beneficiales, in quibus agitur de Titulo Beneficii, et Pensionum, quorum redditus excedat summam 24 ducatorum de Camera; vel si agatur de prima Dignitate in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis. Idem, *ibid.* (11. Et Causæ Matrimoniales, tam super federe, Matrimonii quam super divortio. Necnon super nullitate Professionis Regularis. Idem, *ibid.* (12. Causæ minus graves, adeoque Prælatiæ, censentur illæ pecuniariæ, citramontanæ, quæ summam quingentorum scutorum aureorum; ultramontanæ vero, quæ mille scutorum aureorum similium æstimationem

non attingunt. Idem *ibidem*. (13. Item Causæ Beneficiales, et Pensionum Ecclesiasticarum, ubi valor annuus Beneficii, aut Pensionis summam viginti quatuor ducatorum auri non excedat. Idem, *ibid.* (14. In Causis censuum, si agatur de censibus redimibilibus, attendenda est quantitas, seu valor sortis, ut dicantur Rotaes, neene. Idem, *ibid.* (15. In Causis servitutum tam realium quam mixtarum, considerandus est prædii valor. Idem, *ibid.* (16. In Causis Canonum habenda erit ratio fundi, super quo Canon constitutus fuit. Idem *ibidem*.

(17. Causæ tam graves, quam minus graves, ad Forum Capitolinum spectantes, numquam ab illius Curia avocari poterunt, nisi de partium consensu. Idem *ibid.* (18. Sed de consensu partium Causa Rotalis Prælati, et Prælati Auditorio Rotæ committi potest (1). Idem, *ibid.* (19. Sicut etiam Causa ad Capitolii Curiam pertinens, tam Rotæ, quam alteri cuiusque iudici committi valet. (2) Idem *ibid.* (20. Exceptis Causis Matrimonialibus, et Causis super nullitate Professionum Regularium. Idem *ibidem*.

(21. Causæ Matrimoniales ad Auditorium Rotæ, vel ad Congregationem Concilii omnino sunt deferendæ. (3) Idem, *ibid.* (22. Causæ autem super nullitate Professionis, Regularis intra quinquennium, sive ex parte Religiosi Professi, sive ex parte Religionis proponantur, in prima instantia cognoscendæ sunt a Superiore Regulari simul cum Ordinario loci. Idem *tom. 2. Constit. 47. incip. Si datam.* (23. Idem statuitur, si Causa intra quinquennium intentata non prosecuta fuerit, et post quinquennium reassumpta. Idem, *ibid.* (24. Eædem in casu discrepantiæ inter Ordinarium, et Superiorem Localem devolvuntur ad Sanctam Sedem. Idem *ibid.*

(25. Causæ nullitatis Professionis Monialium, si fuerint Ordinario tantum subjectæ ab eo iudicari debent. Idem, *ibid.* (26. Secus si Regularibus subjectæ sint; tunc enim iudicandæ sunt ab Ordinario loci simul, et a Superiore Regulari, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem ab earum Confessario. Idem *ibidem*.

(27. Causæ nullitatis Professionis ex capite non expleti Novitatus in Cœnobio ad institutionem Novitiorum designato etiam intra quinquennium, privative spectant ad Congregationem Concilii, etiam in prima instantia. Idem, *ibidem*. (28. Causæ super nullitate professionis post primam instantiam deferuntur ad Iudices, ad quos de jure appellatio interponitur. Qui tamen procedere debent una cum altero Superiore Regulari. Idem *ibidem*.

(29. Causæ nullitatis etiam intra quinquennium promotæ, si devolvantur ad S. Sedem, iudicari debent vel ab Auditorio Rotæ, vel a Congregatione Concilii, vel a Congregatione Episcop. et Regular. sine interventu Superioris Regularis. Idem, *ibid.*

(1) Ex nuperrima constitutione Clementis XIII, contrarium servari debet; nam Causæ rotales Sac. Auditorio rotæ, prælatiæ, vero prælati committuntur.

(30. Causæ nullitatis Professionis in gradu restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii a S. Sede tantum cognosci possunt. Idem, *ibid.* (31. Sive ex parte Religionis, sive ex parte Professi introducuntur et impedimentum ad reclamandum duravit quinquennio. Idem *ibid.* (32. Causæ in gradu restitutionis in integrum quandoque ex Apostolicæ Sedis dispensatione Ordinariis, et aliis Superioribus committuntur. Idem *ibid.*

(33. Causas Spirituales avocantes a Iudicibus Ecclesiasticis excommunicantur. Idem *tom. 1. Constit. 14. incip. Pastoralis § 14. publicata, et publicari solita in Cœna Domini.*

(34. Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud Sedem Apostolicam sive in Petitorio, sive in Possessorio, est locus sequestrationi fructuum. *Clement. Unic. de sequestr. possess. et fruct.,* neque aliter statui potest in Synodis particularium Ecclesiarum. Ita in *Tract. de Synodo Diœces. lib. 12. cap. 1. num. 3.*

(35. Causæ omnes etiam civiles, et de re etiam profana, in quibus Ecclesiastici tantquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii Episcopi; nec etiam de Episcopi consensu transferri possunt in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a Sac. Congr. Concil. in *Instit. Eccles. 40. § 3.*

(36. Si vero Clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quamquam de rigore juris cognitio hujus Causæ pertineat ad iudicem sæcularem; tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere possunt ad Forum Ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quamquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia Episcopi potest Causa ista agitari coram iudice laico; ut ex decretis Sacræ Congregationis Episcoporum et Regular. confirmatis Brevi Pauli V. die 9. Martii 1617. *ibidem. § 5.*

ADDITIONES CASINENSES.

(37. Causa proprie dicitur ipsa res controversa quæ in iudicium deducitur; et differt a lite, quod lis proprie dicatur post contestationem; causa vero ante et post. Jason. in *l. Postquam liti. num. 10.* Differt etiam Causa a questione, quod hæc tam intra quam extra iudicium dicatur, Causa vero proprie solum in iudicio. Pirhing *lib. 2. tit. 1. n. 4.* (38. Causæ dividuntur secundum *Gloss. caus. 11. qu. 1. in Summa, Abbat. in cap. decernimus n. 3. tit. 1. lib. 2.* et alios, in mere civiles, in quibus agitur de rebus mere temporali-

(2) Scilicet uti de voto.

(3) Quoad vero sponsalia ad iudices ordinarios.

bus; in criminales, ubi de crimine agitur; et in spirituales, in quibus tractantur res spirituales; per quas non solum illa intelliguntur quæ per se ac essentiam suam sunt spiritualia, ut gratiæ, virtutes, etc., sed etiam omnia illa quæ vel causant spiritualia, uti sunt Sacramenta, vel saltem ad Dei cultum, et pios usus, sive ad salutem spirituales animarum ordinantur. (39. Et cognitio Causarum spiritualium, seu Ecclesiasticarum non nisi ad iudices Ecclesiasticos spectat, privative quoad alios iudices laicos; quod patet ex *lib. II tit. 1. cap. 2. ibi: ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant;* et ex ipso Concil. Trident. *sess. 24. can. 12.* ubi anathema fertur contra asserentem *causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos.*

(40. Causæ majores in jure expresse denominatæ, quæ lege quoque Concordatorum Sedis Apostolicæ iudicio in prima instantia reservantur, plene ostenduntur ab Altasser. *de Jurisd. Eccles. lib. 10. cap. 1. et sequ.* (41. Inter eas præcipue numerantur quæstiones quæ spectant ad articulos fidei intelligendos, ad Canonicos libros discernendos, ad sensum sacrarum litterarum declarandum, approbandumque, ad interpretanda quæ dubia sunt, vel obscura in controversiis fidei, in jure Canonico vel divino: item ad declarandum quæ ad Sacramentum pertinent, videlicet ad materiam et formam, et ministerium: Causæ Criminales contra Episcopos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt.

(42. Galli nihilominus contenderunt quod Episcoporum Causæ, quæ depositione, vel privatione dignæ sunt, Romæ a Pontifice iudicari non possint, sed earum cognitionem delegari debere Iudicibus in partibus. Vide Spondan. *ad annum 1563. num. 30. Pallavicin. Histor. Concil. Trident. cap. 7.* Sed standum est Decreto Concilii Tridentini, quo statuitur: « Causæ criminales graviores contra Episcopos etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscantur, et terminentur. Quod si ejusmodi sit Causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio et specialis sit, et manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanam Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cætera alias sub fel. rec. Julio III. super his decreta, nec non et constitutio sub Innocentio III. in Concilio Generali, quæ incipit: *Qualiter et quando:* quam sancta Synodus in præsentem innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales Causæ Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, et terminentur, vel a deputandis per Concilium Provinciale. » *Trid. sess. 24. cap. 5 de Reformat.* Idem jam antea sancitum erat in

Concordato inter Pontificem Leonem X. et Franciscum Francorum Regem, quod anno 1517, restitutum est Conventione inita inter Pont. Pium VII. et Christianissimum Regem Ludovicum XVIII.

(43. Cardinalium Causæ, in delictis privilegiatis; illa præsertim læsæ Majestatis, non nisi a Pontifice cognosci possunt. Rigant. *Comment. in Regul. 37. n. 198, et 172,* ubi rejicitur contraria sententia relata.

(44. Causas Criminales Vicarius expedire nequit, nisi specialiter ei commissæ fuerint, ita ut nec inquirere, corrigere, aut punire subditorum excessus queat. Barbosa *alleg. 54. par. 3.*

(45. Capitulum, vacante sede, de Causis matrimonialibus cognoscere potest illas tantum, quæ procedunt ex ordinaria jurisdictione, non autem quæ ex delegatione proveniunt; quia Capitulum, vacante sede, succedit in locum Episcopi quoad jurisdictionem ordinariam, non ita quoad delegatam. Barbosa *par. III. alleg. 84.*

(46. Inferior Episcopo ex delegatione Causarum matrimonialium cognitionem habere potest juxta text. in *cap. proposuisti, de probat. et in cap. ex litteris, de in integrum restitutione, et in cap. 1. ut lite non contest,* quibus probatur Causas matrimoniales a Romano Pontifice delegari non solum Episcopis, sed et inferioribus, nempe Archidiaconis, Prioribus et Archipresbyteris. Barbosa *ibidem, n. 6.*

(47. Causæ quæcumque Ecclesiasticæ, si in prima instantia coram Ordinario locorum infra biennium, a die motæ litis computandum, non terminantur, ex novo decreto Concilii Trid. *sess. 24. cap. 20,* statutum fuit, liberum esse partibus, vel alteri illarum, iudices superiores, alias tamen competentes adire, qui Causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari curent. Reiffenstuel. *lib. 1. Decret. tit. 10. n. 32.*

(48. In Causa denegatæ, vel protractæ justitiæ Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi. Denegata justitia accidit, quando iudex inferior, puta Episcopus, debite saltem semel requisitus, justitiam denegavit, seu litem cum æquitate audire recusavit, tunc generaliter devolvitur jurisdictio primæ instantiæ ad superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ adiri possit. Protracta justitia vero accidit, quando inferior iudex, puta Episcopus, acceptavit quidem Causam, sed protraxit, seu neglexit eam finire; et prius quidem decernuntur a superiore iudice, puta Archiepiscopo, Promotoriales, ut vocant, in quibus inferiori iudici, puta Episcopo, assignatur terminus, sive certum tempus pro administranda justitia et elapso termino illo censetur primum jurisdictio devoluta ad superiorem iudicem. Idem *num. 29, et seq.*

(49. Omnes Causæ generaliter loquendo, delegari possunt, nisi quid specialiter sit exceptum; Causæ vero non possunt subdelegari sine justa causa; et cum delegantur, censetur electa industria personæ. Barbosa *ibid., n. 11, 12.*

(30. Causas vero matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum jure Ordinario, potest ipse committere discutiendas, et decidendas doctoribus, etiam qui non sunt ejus Vicarii. Et debent hujusmodi Causæ matrimoniales ob sui gravitatem cognosci, et judicari ab his, qui statuta canonum non ignorant.

CENSURA.

SUMMARIUM.

1. Censura unde sit dicta. — 2. Censura quid sit. — 3. Explicatur per singulas particulas definitio Censuræ. — 4. Censuræ ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet excommunicatio, suspensio, et interdictum. — 5. Irregularitas autem non est proprie Censura. — 6. Sic depositio et degradatio non sunt Censuræ. — 7. Item cessatio a divinis non est Censura. — 8. Potestas ferendi Censuras quibus competat. — 9. Censura primo ferri non potest, nisi in delinquentes Christianos. — 10. Secundo ferri non potest, nisi in rationis capaces. — 11. Tertio non potest ferri, nisi in subjectos jurisdictioni ferentis ipsam Censuram. — 12. Quarto communitas, aut collegium potest quidem ligari suspensione et interdicto, minime tamen excommunicatione. — 13. Quinto ex speciali jure non ligantur Episcopi sententia generali suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis specialis mentio fiat. — 14. Sexto sic etiam Cardinales, nisi specialis, et expressa de ipsis mentio fiat. — 15. Septimo Imperatores et Reges ob suæ dignitatis excellentiam Censura aliqua ab Episcopis ligari non possunt. — 16. Ad validitatem Censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. — 17. Intellige tamen de excommunicatione majori, vel alia Censura ecclesiastica gravi. — 18. Adducitur ratio, quare ad validitatem Censuræ requiratur, quod culpa in suo genere sit completa. — 19. Adducitur ratio, quare etiam debeat esse cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. — 20. Ad incurrendam tamen Censuram non requiritur semper contumacia aut contemptus formalis, sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus. — 21. Ad validitatem Censuræ ferendæ ab homine, requiritur etiam trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat, quod nempe in aliquo urgente casu, una solum admonitio peremptoria pro tribus sufficiat. — 22. Et talis monitio debet fieri in scripturis cum expressione causæ et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus contra quem fertur Censura; et coram testibus tradi, vel legi ipsi personæ excommunicandæ. — 23. Nisi forsitan malitiose se absconderet et fugeret; tunc enim sufficit, si monitio seu excommunicatio prævia scripta ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco suffigatur. — 24. Dicitur autem notanter, maxime excommunicationis, quia Censura suspensio, et interdicti aliquando non ut meræ Censuræ, sed ut pænæ vindictivæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa. — 25. Ad validitatem tamen Censuræ latæ sententiæ a jure statutæ, non requiritur monitio. — 26. Censura interdicti potest infligi etiam ob peccatum alterius. — 27. Non potest tamen propter peccatum alterius infligi Censura excommunicationis majoris. — 28. Neque etiam propter peccatum alterius potest infligi Censura suspensionis proprie et stricte acceptæ. — 29. Ab incurrendis Censuris tres præcipue causæ excusant; et assignatur prima. — 30. Assignatur secunda. — 31. Assignatur tertia. — 32. Quando appellatio fit post latam excommunicationem, vel alterius Censuræ sententiam, non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut superior possit cognoscere de justitia Censuræ. — 33. Innocens cen-

(1. Censura, quæ venit a censendo, apud veteres Romanos significabat tum officium

Præterea iniquum esset quamquam conjugalem controversiam tractari ab eo, qui non sit juris canonici peritus, tamen lata sententia valida esset propter jurisdictionem, quam habet is, qui eam tulerit. Barbosa, *ibi dem*, n. 15.

suratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, et approbata in foro externo pro tali habere se debet, quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. — 34. In secreto tamen posset talis se gerere, ut non censuratus. — 35. A Censuris a jure, si non sint reservate, absolvere potest quilibet confessarius pro foro interno conscientie; pro foro tamen externo superior censurati. — 36. A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille qui eas tulit, vel ejus delegatus, vel superior censurantis plenam jurisdictionem in illum habens. — 37. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi ad eum appelletur. — 38. Nemo tamen debet absolvi a gravibus Censuris, sive pro foro interno, sive pro foro externo, nisi prius serio promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta. — 39. In articulo mortis potest quisquis confessarius, et in defectu confessarii quilibet sacerdos a quibusvis Censuris absolvere; sub onere tamen, ut elapso periculo poenitens coram superiore compareat ad exsequendum quod ille præscripserit. — 40. Potest quis pluribus Censuris ligari; et potest absolvi ab una, et non ab aliis ad differentiam peccatorum. — 41. Censura excommunicationis ligatus non potest a peccatis absolvi, nisi prius ab ipsa absolvatur. — 42. Forma absolutionis a Censuris non habet præfixa, et determinata verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem talis specialis Censuræ, a qua fit absolutio. Sed de istis et aliis. *Remissive*. — 43. Reo correcto, ejusque contumacia cessante, non cessant Censuræ, nisi per absolutionem tollantur, maxime loquendo de Censuris absolute latis. — 44. Privilegium, ne quis Censuris irretiri possit inconsulta Sede Apostolica, non afficit ordinariorum potestatem. — 45. 47. Quando Censura irrogari possit in delinquentes. — 48. Quando requiratur sententia declaratoria. — 49. 50. Quanta moderatione uti debeant Episcopi in infligendis Censuris. — 51. 53. In præsentis disciplina tres sunt tantum Censurarum species. — 54. 57. Quæ sit differentia inter Censuras a jure, vel ab homine latis. — 58. 59. Quando sint Censuræ latæ vel ferendæ sententiæ. *Remissive*. — 60. An Episcopus possit ferre Censuras extra suam diocesim. *Remissive*. — 61. An mulieres possint ferre Censuras. *Remissive*. — 62. De forma ferendi Censuras. — 63. De forma, conditionibus, effectibus, etc., Censurarum. *Remissive*. — 64. Ecclesia jus habet infligendi pænæ. — 65. Distinctio pænarum et Censurarum. — 66. Quot conditiones requirantur, ut quis possit Censuras ferre. — 67. Impuberes possunt ligari Censuris, si id expresse cautum est in lege. — 68. Quando excommunicari possit communitas. — 69. Prælati regulares ubicunque existunt, possunt Censuras ferre in suos subditos. — 70. Casus in quibus Episcopus extra territorium potest infligere Censuras in subditos. — 71. Quid si subditus existat extra territorium. — 72. Solemnitates observandæ in prolatione Censurarum. — 73. Quotuplex sit absolutio a Censuris. — 74. Confessarius potest absolvere a Censuris non reservatis etiam in foro externo. — 75. Absolutio ad cautelam. — 76. Absolutio ad reincedentiam. — 77. Censurarum in mortuos relaxatio.

Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris mores corrigentis, aut pœnam infligentis.

Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quod Censura significet correctionem quamdam, et punitionem, juxta illud Juvenalis *Satyra 1. de Junone canentis: Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

(2. Nos autem nomine Censuræ intelligimus hic solam Ecclesiasticam, quæ est correctio, et pœna quædam spiritualis, ac medicinalis privans usu aliquorum bonorum spiritualium, per Ecclesiasticam potestatem inflictâ Christiano delinquenti, ut a contumacia recedat. (3. Ita in re communis. Dicitur correctio, et pœna quædam spiritualis ad differentiam pænarum corporalium, seu temporalium, v. g. pœnæ pecuniariæ, exsilii, carceris, et hujusmodi. Siquidem Censura non versatur principaliter circa similes pœnas corporales, vel temporales. Dicitur medicinalis, quia Censura Ecclesiastica non est pœna vindictivæ delicti jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem Christiani delinquentis, id est inobedientis potestati Ecclesiasticæ sub Censura aliquid præcipientis, vel prohibentis; argum. capit. cum medicinalis 1. de sentent. Excommun. in 6. ibi: *Cum medicinalis sit Excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat.* Dicitur privans usu aliquorum bonorum spiritualium, non autem omnium, quia inter bona spiritualia quædam sunt propria, et permanentia, quibus nemo invitus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earumque bonæ operationes; quædam vero sunt communia, quibus Christianus in pœnam privari potest quoad usum activum, et passivum, ut est ministratio, et receptio Sacramentorum, participatio publicorum suffragiorum Ecclesiæ, et hujusmodi. Dicitur per Ecclesiasticam potestatem inflictâ, quia cum potestas mere secularis spiritualia tractare nequeat, cap. Judicatum 5. dist. 89. cap. Decernimus 2. de Judic. cum concordant. potestas ferendi Censuram soli potestati Ecclesiasticæ competit, et quidem Jure Divino, juxta illud *Matth. 16. Quæcumque alligaveritis super terram, etc. et 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus;* hoc est a Fidelium communione segregatus, ut explicant omnes. Dicitur Christiano delinquenti, quia Judæi, Pagani, Saraceni, et alii Infideles, ex quo Ecclesiæ potestati non subsint, nulli Censuræ subjiciuntur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Dicitur ultimo, ut a contumacia recedat, quia finis Judicis Censuram ferentis debet esse, ut fideles a contumaci, et rebeli inobedientia reducat ad promptam, et obsequiosam Ecclesiæ obedientiam; arg. c. Cum medicinalis 1. de sentent. Excommunicat. in 6. ibi: *Cautè provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis.*

(4. Censuræ Ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Suspendio et Interdictum. Ubicumque

(1) Superiores regulares reservare sibi possunt sequentes casus. 1. Apostasia a religione, habitu di-

enim in Jure fit mentio Censuræ Ecclesiasticæ, solummodo istæ tres species numerantur, ut patet ex c. Cum medicinalis 1. cap. Statutum 13. c. Is cui 20 de sentent. Excommunicat. in 6. et præcipue ex c. Quærenti 20. de V. S. ibi: « Quærenti quid per Censuram Ecclesiæ debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris Litteris apponimus. Respondemus, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspensionis, et Excommunicationis sententia valet intelligi, nisi Judex discretus (rerum, et personarum circumstantiis indagatis,) ferat quam magis viderit expedire. » (5. Irregularitas autem non est proprie Censura, seu pœna, sed inhabilitas quædam ad ministerium Altaris, seu impedimentum quoddam accipiendi, vel exercendi Ordinem. (6. Sic Depositio, et Degradatio non sunt Censuræ, sed pænæ quædam contra incorrigibiles a Jure Canonico statutæ. (7. Item cessatio a Divinis non est Censura Ecclesiastica, quia non est prohibitio Divinorum Officiorum, sed desistentia, et omissio. Navarr. in *Manuali Prælator*, cap. 26. num. 1. et sequent. et num. 188 Pirhing. in *Jus Canon. lib. 3. tit. 39. num. 3. et 4* et communissima aliorum. (8. Potestas ferendi Censuras competit præcipue in primis Summo Pontifici, et Episcopis; cap. Perniciosam 1. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii; Concil. Trident. sess. 6. cap. 3. et sess. 14. cap. 4. de reformat. Legatis Sedis Apostolicæ in territorio suæ Legationis; cap. Novit 7. de Officio Legati, et cap. Legatos 2. de Officio Legati in 6. Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, et aliis suo Titulo annexis, textu expresso in cap. His que 11. de Majorit. et obedient. ibi: *correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, et Excommunicationis, Interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, et in Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes.* Capitulis Cathedralibus Sede vacante; arg. c. Unic. de Majorit. et Obedient. in 6. Vicario Generali Episcopi, et Vicario Capitulari Sede vacante; cap. Venerabilibus 7. de Sentent. Excommunicat. in 6. Prælati, et Præpositi Ecclesiarum Collegiarum, et aliis habentibus Jurisdictionem in Foro Ecclesiæ externo; arg. c. Quærenti 2. de V. S. et cap. Cum medicinalis 1. de sentent. Excommunicat. in 6. Abbatibus, et reliquis Superioribus Regularibus non solum Generalibus, et Provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, scilicet Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Correctoribus, et hujusmodi respectu suorum subditorum; cap. Cum in Ecclesiis 10. de Majorit. et Obedient. cap. Ea que 8. de statu Monachor. cap. Sicut tuis 33. de Simonia, et ibi Glossa verb. Anathematis; et demum Conciliis Generalibus, et Provincialibus in sua Provincia, aut natione, sicut et Capitulis, seu Congregationibus Generalibus in Religionibus, et Provincialibus in suis respective Provinciis. Suarez de Censuris disp. 2. sect. 2. Palao tract. 29. disput. 1. sect. 4. a num. 2. Navarr. in *Manuali cap. 27. n. 5.* et alii. (1).

misso, aut retento. 2. Veneficia, incantationes et sacrilegia. 3. Nocturna, et furtiva e conventu egressio. 4.